

deatur, ideoque confusio ejusque effectus cessabunt, & Creditor nihilominus pignus suum persequi, vel si possidet, retinere poterit: *d. l. vers. atquin sive possidet Creditor actor.* cum obligatio non tollatur, nisi actuali numeratione pecuniæ, aut alio aliquo modo æquipollenti, qualis hæc coacta aditio, alieni compendii gratia, & eo fine saltem facta, ut solennitati juris & voluntati Testatoris satisfiat, non est. Et quod adhuc ex æquitate durare videatur ipsa principalis obligatio, patet ex eo, quia fiduciarius heres a Paulo adhuc vocatur Creditor, eisdemque conceduntur effectus pignoris, & quidem præcipui, jus scil. rem oppignoratam retinendi, eandemque per actionem Servianam persequendi: quæ omnia ipsam principalem obligationem salvam esse satis demonstrant: Et quamvis prima fronte ex his verbis: *remanet ergo propter pignus naturalis obligatio:* concludendum videatur, ac si solus pignoris nexus principalem obligationem sustineret, adeoque extra casum illum creditum chirographarium per aditionem hereditatis plane periret, nec revivisceret, uti nonnulli existimant: verius tamen est, quod hæc Pauli assertio generaliter & indistincte procedat, sive creditori dato aliquo pignore cautum sit, sive non, quia utroque casu eadem militat æquitas, & accessorium semper a suo principali, nunquam vero principale a suo accessorio sustineatur: vid. Frantzk. *d. t. n. 27. & seqq.* ubi hæc omnia satis eleganter explicat. Hinc etiam Dd. communiter docent, quod fideicommissario universali gravatus, illud deducere possit, ad quod defunctus ipsi fuerit obligatus, Vincent. Fusar. *tract. de substitut. part. 2. quest. 665. pr. & num. seqq.* Poterit tamen fiduciarius re adhuc integra, ante scil. hereditatis aditionem exigere cautionem de indemnitate præstanda vel solvenda pecunia. *d. l. 59. pr. vers. in re autem integra.*

XIV.

Sicut autem fiduciarius, totam hereditatem fideicommissario restituens, obligationes & servitutes sibi competentes, ipso quidem jure per aditionem confusas, ex æquitate tamen salvas retinet: Ita vicissim, si ipse defuncto fuit obligatus, aut ejus bo-

B

nate-